VII

# JOSEPHUS ALOJSIUS PUKALSKI

## DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

# EPISCOPUS TARNOVIENSIS

**Solio Pontificio Assistens, Ordinum c. r. Austriacorum: Coronæ ferreæ Classis II. Eques et Francisci Josephi Comthur,**

**Membrum Statuum Regni, Præses Commiss. pauperum &c.**

**Venerabili Clero Diœcesano tam sæculari, quam regulari salutem et benedictionem!**

In Encyclica SS. Papæ Pii IX. de 8. Dec. 1864. quam in Currenda III. a. c. imprimendam curavimus, Venerabiles Fratres in Christo! legistis de Jubilæo clementissime Nobis pro 1. mense concesso haec verba: „His igitur Litteris (Encyclica) Auctorite Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus *Plenariam Indulgentiam ad instar Jubilæi* concedimus intra *unius tantum mensis spatium* usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra. a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, *eodem prorsus modo et forma*, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma **Brevis** die 20 mensis Novembris anno 1846 datas et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium „Arcano divinæ Providentiæ consilio“ et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris præscripta sunt et ea excipiantur, quæ excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem *Litterarum exemplar* ad Vos perferri jussimus.“

Hocce Brevis exemplar nunc primum ad Manus Venerabilis Cleri pertingere facimus, in sequentibus: